

Dissertatio inauguralis medica de opio ... / submittit Mauritius Nagel.

Contributors

Nagel, Mauritius.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Budae : Typis Regiae Universitatis Hungaricae, [1847]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d982u5mr>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSE^TRAT^IO
INAUGURALIS MEDICA

DE

O P I O

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS

ET DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM DOMINORUM D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENT.


UNIVERSITATE HUNGARICA PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

MAURITIUS NAGEL

(HUNGARUS).

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis minori
die 26 Martii hora 1847.



BUDAE

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

ОГЛАДИЯЩА

КОДАНИЯ ПОДАЧА



СТАТИСТИКА ТЕХНОЛОГИИ

ПОДАЧА И ПОДАЧА

ПОДАЧА

МАСТЕРСТВО ПОДАЧА

Immer strebe zum Ganzen, und kannst du selber kein Ganzes
Werden, als dienendes Glied schliss' an ein Ganzes dich an.

Goethe.

**Seinen
innigst geliebten Eltern**

als schwachen Beweis
unbegrenzter Dankbarkeit und kindlicher Liebe

gewidmet

vom Verfasser.

Geliebteste Eltern!

Wenn auch meine Ueberzeugung fest gegründet ist
dass Sie nie den geringsten Zweifel gegen meine innige
Ergebenheit hegten, so ergreife ich dennoch freudenvoll
stets Herzens die längst mit heißer Sehnsucht erwartete
Gelegenheit Ihnen hochgeehrteste Eltern öffentlich
meine kindliche Dankbarkeit zu bezeugen. Grossz waren
die Sorgen, bedeutend die Opfer, die ich Ihnen
durch eine Reihe von vielen Jahren verursachte: doch
noch grösser, noch weit glühender ist der Dank Ihrer
gegen Sie meine grössten Wohlthäter, stets Liebe und Hochachtung athmenden Sohnes. Nehmen Sie daher
diese Erstlinge meiner medicinischen Studien die mein vom innigsten Danke durchdrungenes Gemüth auf dem Altare der kindlichen Liebe Ihnen so germt und wonneerfüllt darbietet — nehmen Sie daher die Widmung meines ersten literarischen Versuches als den schwächsten Bewis der Erfüllung meiner heiligsten Pflichten gegen Sie an — als ein sicheres Unterpfand der mir gegen Sie zu erlöschenden Dankbarkeit Ihres

Ihnen

ergebensten Sohnes
Moritz.

Antiquitates.

Opium, Meconium, Assion, Assium. Graecis ὄπιον, ἡκοντιον, Hungaris Mákony, Germanis Mohnsaft, Schlaf-
aft.

Ultima Opii notitia fabulis inititur solis, et Graeci
sum ejusdem a Cerere se eductos esse proferunt, qua-
propter illud Cereris sacrum esse putarunt. Virtutem ejus
nodynam priscis jam non ignotam fuisse ex eo proma-
iat, qua Morphei attributum magno in honore habebatur,
nitum autem usus therapeutici nullibi in antiquis tempo-
ibus invenire atque demonstrare possumus. Hoc tamen
neminem latet, usum Opii ultra bis mille annos fieri, quod
ex eo elucet, quod jam Diagoras, Hippocratis coaevus a
Meconii abusu increscente, omni, qua pollebat, auctori-
ate, dehortatus est. Ab hocce tempore usque ad nostram
etatem Opium quidem inter pharmaca receptum, ast se-
undum systhematum varietatem mox summis laudibus e-
atum, mox omni valore exutum, ideoque ex medicamen-
orum thesauro deletum est, donec nostris demum tem-
poribus, postquam virtutes opii a viris in arte versatissi-
nis in tot morbis praecipuae agnitae et sancitae fuerant,
inter pharmaca locum suum eximium nullo theoremate
oppugnandum, invenisset, sibique promeruisse.

Descriptio et patria Plantae.

Plantam, ex qua Opium obtinetur: Papaver somni-
erum (Gartenmohn) pater phytognosiae Linneus in Po-
yandria Polygynia describit, ut plantam capsula globo-

sa caule foliisque amplexicaulibus inciso repandis, obtusidentatis, glaucis, glabris, praeditam. Planta, de qua licet quimur, Persiam, Arabiam, Syriam, Aegyptum, qua potius triam agnoscit, in Europa in hortis etiam olei gratia colitur, quin imo semina pro cibo et condimento convertuntur; quoad indolem exoticum nostro, a multis praefertur, propterea quod clima Orientis calidius, succos et aromata vegetabilium melius excoquit et praestantiora reddit, quod autem ab aliis secundum nuperima experientia chemica (Geiger) negatur, consentientibus simul multis experimentis ducto Professore Berolinensi Wolf, nec non Hufeland et Behr, ast sub judice lis est.

Species Opii.

Distinguimus tres species:

1) Opium thebaicum, orientale, levanticum, turcum, paratur, succum e capsulis papaveris seu capitibul immaturis instrumento quodam vulneratis ad vesperas in nocte aestate effluentem et capitibus adhaerentem de nocte inspissatum sequenti die colligendo, quae sauciatio et collectio per integrum circiter hebdomadem durat; hinc inde modificatio hujus modi observatur uti in Persia, ubi collectio aestate demum cum instrumento valde composito perficitur. Summe efficax censetur Opium, si efflorescencia terminata capsula integra resecta unica solum guttula in usum trahitur sub nomine Lacrymae Opii, sed haec apud nos.

2) Opium vilioris conditionis: succus ex capsulis expressus obtentus et inspissatus.

3) Meconium (veterum) succus per expressionem ex coctionem expulsus super ignem densatur — iufit in notae.

Notae characteristicae.

Opii genuini proprietates sunt sequentes: occurrit in placentis subrotundis, complanatis, magnitudinis variae ab unciis quatuor ad libras duas, foliis involutis et pulvere, ad praecavendam conglutinationem conspersis, coloris extus nigrorufescens, intus rufoflavi, splendoris nubilus, solum in fractura recenti nitens, opacum nec ad margines transparens, tenax, compactum, inter digitos mollescens, inveteratum durius, scissile, simulque absque stri-

dore in fragmenta dissiliens, odoris proprii ingrati, stu-pefacentis, saporis primum amari, dein acris, nauseosi. Humeffectum inquinat et in charta scripturam colore flavo relinquit, flamam facile concipit et viride ardet. Aqua magna ex parte solvitur, optime Alkohole diluto, Kali tenente, et aquis aromaticis; solutiones, caeruleos plantarum succos rufant.

In usum medicum nunquam trahendum est Opium profunde fusci nigricantis, vel plane nigri coloris, consistentiae mollis, unguinosae, aut quod nimis friabile est; non valet praeterea, si empyreumaticum edat odorem, saporem dulcescentem, minus amarum et vix acrem redoleat, masticatum salivam fusco, aut plane nigro tingat colore, et humefactum super chartam similem scribat lineam.

A variis, quibus Opium saepe corrumpitur materiis, derivantur, uti: Extracto aquoso capsularum vel plantae totius papaveris, Chelidonii majoris, Lactucae virosae, Glycirrhysae glabrae; admiscent etiam gumi arabicum, tragacanthae, olea pingua, adipem aloëm, arenam, imo inveniuntur nonnulli, qui stercus bovinum in Opio inventisse adfirmant; huc spectant etiam folia et semina plantarum diversarum, quibus Opii placentulae obvolvuntur, ne sibi invicem adglutinentur.

Ad evitandum malum ex usu Opii inquinati proveniens, praevie accuratum instituatur exame, sic extractum papaveris est coloris fusci, vel fusco nigricantis, odoris debilioris, et non raro empyreumatici, flamمام vix concipiens, salivam fusco tingens colore, aqua totum solubile, quae solutio dein alkohole turbatur; extractum chelidonii est odoris plane alterius et solutionis filavo-fusci; extractum lactucae virosae odoris debilis, et aspectu asperius est; extractum glycirrhizae est fragilis, saporis dulcis, humefactum in charta profunde fuscum ducens lineam.

Gummi arabicum prodit se splendore, fragilitate; tragacantae sexduplo pondere solventis ex una alkoholis et duabus aquae partibus abit in gelatinam tremulam.

Opium oleo pingui adulteratum, tûrbidam dabit tinturam, Arena videri potest microscopio, et si substantia Opii talis, cultro scindatur aut dentibus commoliatur, stridet, sed et solutione detegitur, cum arena insoluta remaneat.

Partes constituentes.

Inter antiquos chemicos multos offendimus, qui Opium analysi subjecerunt, inter quos primo loco Wedel referimus, qui in sua Opiolgia anno 1692. edita, de nomine, origine, speciebus, natura, notis loquitur, inter cetera chemice de eo disputat, quantum scilicet ex destillatione sicca concludere valuit. Post hunc brevi tempore, plures alii Opium chemice examinarunt, ut Neumann in chimia medica dogmatico-experimentalis anno 1752. Tralles de usu Opii salubri et noxio in morborum medela anno 1757. atque recentiores Harrison, Crumpe etc.

Ast anno 1800 nova, Opio chemice cognoscendo, illexit periodus, ubi nempe clarissimus Buchholz praeclarum Opii declarat analysim. Methodo nempe sua sequentia in Opio contineri putat:

materiam saponaceam	35,60
. . . gumosam	30,40
. . . resinosam	9,00
resinam elasticam	4,80
materiam glutinosam	11,40
. . . lignosam	2,00
deperditionem igne et solutionibus	6,80
	100

Post Buchholz Parisiis anno 1802 praeclarus chemicus Derosne in opio accuratori examini subjecto, nova detexit principia, brevi post cl. Seguin praeclarum tradidit Meconii analysin. Omissis aliis, novissimam a Pelletier institutam analysin selegi; continet quippe Opium secundum examen Pelletier accuratissimum.

1) Morphium vel Morphin a sagacissimo Sertürner 1805 detectum in pyramidibus octaedris vel tetraedris rectangularibus, nitentibus, diaphanis occurrit, saporis et odoris expers, nee aqua, nec aethere solubile, facile vero in 30 partibus alkoholis bullientis et 40 partibus frigidi, aceto destillato facile solvit, et eo saturatur perfecte, solvitur et ammonio caustico, unde tamen evaporatione, forma crystallorum secedit. Chemici solertissimi Morphim in suas partes constitutivas proximas decomposuerunt, et constat secundum Dumas et Pelletier ex 72,02 partibus Carbonii, 7,61 Hydrogenii, 5,53 Nitrogenii et 14,84 Oxygenii.

2) Narcotinum , Opian , a Derosne 1803 paratum , in crystallis tenuibus prismaticis basi rhomboidali notatis occurrens , coloris albi , summe nitens , aqua gravius , sine sapore et odore. Aqua frigida insolubile , calida tamen partibus 400 solvitur , ut et alkohole , aethere , oleis aethereis , quin et pinguibus. In solutione , nec ut alkali , nec ut acidum reagit.

3) Narceinum , a Pelleiter detectum , in acuformes , nitentes et albidas , inadoras , amaras , in aqua et alkohole , non vero in aethere solubiles crystallos abiens.

4) Meconium a Dublanc et Couerbe detectum , presentat crystallos albas , inodoras , insipidasque , prismaticas , quae solutae per ammoniam praecipitantur.

5) Kodeinum , a Robiquet detectum , quoad characteres chemicos Meconio analogum , cum acidis sales praebet , quae secundum detectorem summopere efficaces dicuntur.

6) Paramorphium , a Pelletier paratum , quoad compositionem Morphino analogum ; quoad characterem chemicum vero valde distans , redolet enim radicem Pyrethri , estque in alcohole et aethere soluble.

7) Materiam volatilem odoriferam , quae aquae per destillationem communicatur.

8) Acidum Meconicum crystallisatur in lamellis quatuor laterum , vel in squammulis , igne leniori olei instar fluit , dein sublimatur. Habet initio saporem acidum refrigerantem , dein amarum , chartam Lacmus rufat , aqua alkohole et aethere facile solvitur , et cum basibus abit in sales neutros facile solubiles.

Praeter haec Chemia omnia dissolvens , acidum oleo simile quoddam , acidum coloris brunei cum materia extractiformi , resinam Opii , fibram , sulfatem lixiviae et calcis , gluten , gummi , aquam , nec non peculiarem materiam Cautschuk dictam invenisse profert.

Praeparata.

Quae in nostris pharmacopoliis exstant , sequentia sunt :

1) Morphium , Morphina ; parandi modus est sequens : Unciae quatuor Opii cum sedecem unciis alkoholis 0,850 per octo dies digeruntur , fluidum dein per expressionem separatur , residuum vero octo unciis alkoholis infun-

ditur et iterata digestione liquor filtratione separatur. Fluidis mixtis, ammoniae purae tantum additur, quantum ad perfectam praecipitationem necessarium, totumque dein per aliquot dies quieti traditur. Crystalli enatae separantur, aqua frigida edulcurantur, siccantur, atque coctione in alkohole 0,85 solvuntur, ex solutione hac filtrata de stillatione $\frac{1}{4}$ abstrahuntur, residuum vero evaporatione et refrigeratione iu crystallos redigitur.

2) Acetas Morphii, Morphium aceticum. Morphium solvitur sufficienti quantitate aceti concentrati, prius ana tica aquae quantitate diluti, mixtio dein haec filtratur, ad siccitatem evaporatur, et in pulverem redacta in vas is vitreis bene clausis adservatur. Pulverem album acetum redolentem, saporis peramari et aqua facile solubilem exhibit.

3) Extractum Opii aquosum: paratur secundum pharmacopoeam austriacam, dum Opii libra in pulverem redacta, cum quatuor aquae libris per viginti quatuor horas digeritur, fluidum inde emergens colatur, et in bals neo aquae ad consistentiam extracti evaporatum, in vase porcellaneo servatur.

4) Tinctura Opii simplex, seu anodyna simplex, si ve tinctura thebaica. Paratur: opii partem unam in uncis sex alkoholis rectificati et tot aquae cinamomi digerendo et filtrando. Est coloris brunei, saporis opium redolentis et odoris cinamomei; guttae quatuordecem gr. unum continent.

5) Tinctura opii composita, Tinet. anodyna compo sita, Tinet. opii crocata, Laudanum liquidum Sydenhami. Recipitur croci austriaci uncia una, atque Cinamomi spirituosa libra, et macerentur in vase clauso ad plenam extractionem usque, fluidum expressione obtentum digeritur cum Opii ruditer tusi uncis duabus per dies octo, tinctura filtrata efficiat uncias duodecem. Refert colorem bruneum in aureo-flavum vergentem, est consistentiae olei, et Opii, ac reliquarum in ea contentarum substancialium odorem redolet; eandemque copiam opii continet ut praecedens.

6) Pulvis Doveri, Pulvis Ipecacuanhae, Opii aadrachma una, Sacharique uncia una, diutius terendo in pulverem redactis conflatur, cuius scrupulus semis continet granum unum.

7) Electuarium aromaticum cum opio, quod paratur, si electuarii aromaticei uncia una cum quatuor granis

Opii puri commiscetur, prostat nunc plerumque tantum
nsui externo.

8) Syrupus papaveris, seu Syrupus Diacodii, vel
Syrupus Meconii, qui conficitur per decoctionem qua-
tuor unciarum capsularum papaveris absque seminibus in
aquae communis libris octo ad colaturam librarum trium,
sub finem coctionis adjiciuntur unciae duae radic. liquiri-
tiae, liquor dein expressus atque clarificatns, cum sachet-
ri albi unc. una et semis ad syrapi consistentiam inspi-
satur.

Non amplius usitatae compositiones sunt:

Flixirium ammoniato-opiatum.

Mithridatum Democratis.

Electuarium Diascordii Fracastorii.

Opium cydoniatum per fermentationem.

Panacea liquida opii Jones.

Essentia anodyna officinalis.

Pillulae de Cynoglosso.

Aqua theriacalis simplici et composita.

Balsamum odontalgicum.

Electuarium Catechu.

Requies Nicolai.

Laudanum opiatum.

Philonium Romanum etc.

Agendi modus.

Ratio therapeutica opii propria est, et multum dif-
fert ab illa ceterorum stupefacientium. A longo enim tem-
pore multi pharmacologorum determinare conati sunt, an
Opium roboret, an debilitet; stimulet vel sedet; an ther-
mopoesin adaugeat aut refringat; arteriarumque ictus nu-
mero augeat aut minuat. Ast casta ad lectus aegrorum
observatio, cui libet horum symptomatum adsensisse visa
est, ita, ut actio, qua in vitam sensiferam, irritabilem
et plasticam agat, difficulter stabiliri queat.

Ut autem hancce quaestionem quousque licet solva-
mus, ad phoenomena constantia, quae Opium cum orga-
nismo vivo congressum proferat, attendendum putamus.

1) Catexochen agit in systhema nervosum, sensorium
praeprimis immediate adgrediendo; et quidem negativo
modo, sensibilitatem nempe minuendo — hinc obfuscatio
sensuum, stupor; somnolentia, coma; in locali adplica-
tione autem torpor, mitigatio imo cessatio dolorum et

spasmorum. Observantur quidem casus, ubi plane contrarii effectus Opium interne adplicatum sequuti sunt, ut: hilaritas, animi elatio, memoriae augmentum, phantasia vivida: imo delirium ferocissimum; sic et sensus externi valde interdum incitantur, ut aegri ex usu Opii mox Oxyopiam, mox Oxyecoiam etc. adcsent. Attamen haec intentio atque stimulatio effectus praecipuus atque constans non est, sed partim ex adfectione sensorii, partim ex sanguinis ad encephalon adfluxu uberiori per Opium inducto dependet; imo non raro sunt casus, ubi usum Opii statim sopor insequitur.

2) Pulsum, numero auget, eumque reddit plenum et fortem. Etiam haec actio valde relativa a constitutione aegri, a vi vitali et dosi dependens; in homine nempe sano aut hypersthenia laborante, semper pulsus quaedam observanda est acceleratio. Pulsum autem ex debilitate frequentiorem opium retardat; dosim magnam insequitur pulsus tardus, apoplectico non absimilis.

3) Thermopoesim incitat, sanguinisque orgasmum efficit. Quod videre est ex pulsu pleno, celeriori, vasorumque omnium turgore adaueto. Fxoriuntur tali modo congestiones ad varia organa, uti: cerebrum, pulmones, aut aliud organon dispositum. Continuatum usum aut maiores doses insecutae inflammationes et haemorrhagiae observabantur. Hinc veteres, et non sine jure Opio virtutem sanguinis rarefactionem inducentem, tribuerunt.

4) Alias secretiones et excretiones minuendo, alias adaugendo. Faecium nimirum siccitatem et alvi obstipationem inducit. Cutis autem functionem non modo non infringit, sed valde erigit, sudorem nempe ex vasorum capillarium activitate adaucta, motuque periferico accelerato largum proliendo; simili modo in organa generis et utropoëtica agit, somnia libidinosa, erectiones penis, spermatisque excretionem adauctam inducens; hinc priori respectu a multis qua aphrodisiacum celebratur. Quod virtutem ejus diureticam attinet, ambiguum est, an Opium revera secretionem uberiorem urinae efficiat, an potius nisum lotii excernendi excitet.

Ex hisce omnibus elucet, hos effectus sibi pro parte fere oppositos difficillime explicandos esse. Probe h.c distinguendum est, quod phaenomenon constitutioni individuali, quod idiosyncrasiae, quod genio epidemico, quod renisui vitali adscribenqum, quodque ipsi opinioni medicorum graeconceptae tribuendum. Quod itaque novissi-

mis temporibus circa hoc objectum a medicis in lucem prodidit, brevi collectum pro viribus excerpere conabor.

In supra expositis phoenomenis constantibus singulis aequa ac mirifica vis excitantis et sedativae, virtutis animantis cum vitam destruendi nisu, copula in Opio nobis adparet. Depressio imo totalis extinctio universae sensibilitatis (vitae nervosae) simulac intentio ad altiorem potentiam irritabilitatis cordis et vitae sanguini propriae, ergo vitae proprie organicae et vegetativa, necessitatis autem vineulo cum hisce juncta acceleratio et augmentum processus vitalis interni usque ad lethalem hyperanimalisationem, devastationem omnis plasticitatis et incipientem chemicam resolutionem, sistit characterem essentialiem, actionem fundamentalem hujus remedii extraordinarii (Hufeland). Hic tamen conceptus, irritationis, incitationis, uti et subsequentis superirritationis nequaquam proprietates opii ex asse absolvunt. Sicut enim virtutem stimulantem qua primariam et fundamentum statuimus, ita quoque et sedantem ut tales non concedere non possumus. Recte ideo monendi sunt medici, qui contendunt, Opium per irritationem agere, narcoticum vero effectum non nisi sequelam nimiae irritationis et debilitatis indirectae esse. His enim objici potest, quare et alia stimulantia volatitia, uti Moschus, Castoreum, Ammonium, non producant narcoticos effectus? et tandem nonne habemus narcotica, quae absque minima vasorum irritatione, atque pulsu et calore alterato, imo cum pulsu retardato, ideo cum depressione activitatis cordis, vehementissimos narcoseos effectus produnt? Meminerim tantum de Strammonio, Hyoscyamo, quod absque irritatione systh. vasorum, Digitalis imo, cum ejus manifesta depressione naroticas vires exserunt: Acidum hydrocyanicum totam sensibilitatem funditus delere valet, quin cor vasorumque systhema tantillum excitet. Inde elucet, narcoticum illud principium immediate atque specificie in systhema nervosum atque cerebrum agere, illudque absque omni intermedia actione afficere atque deprimere valere. Hoe principium narcoticum Opio quoque inesse extra omnis dubii aleam probant: specificus ille odor, qui semper praesentiam hujus principii demonstrat; sedatus dein topicus opii effectus, externe enim applicatum dolores pacat, mitigat lenitque absque omni irritatione, temporibus impositum somnum conciliat, imo solus vapor purissimam principii narcotici formam exhibens, stuporem inducit.

Teste experientia edocemur, extracto opii aquoso virtutem magis sedantem inesse, ubi e contra praeparatis resinosis stimulantem proprietatem concedere cogimur; imo copulando nitrum, aliave remedia antiphlogistica, opio stimulum adimere valemus, remanente mera vi sedante. Exinde necessitate ducimur ad rigorosae distinguendam separandamque virtutem opii sedativam ab excitante, cuius efficientiae ratio consistit in peculiari ac intima copula principii narcotici cum excitante. altera potentia magis in systhema nervosum, altera plus in vasorum, vim suam exerente.

Chemiam, hanc almam omnis analyseos matrem consulentes, ad resultata summi valoris conducimur. Morphium solum nulos ex supra allatis producit effectus, acidis vero junctum Opio puro non cedit. De Narcotini actione, adhuc litigant medici. Tinctura opii compisita narcosin sine ulla excitatione systh. vasorum ponit. Et haec observatio experientia evicta ac confirmata, maximi est practici pretii.

Concludendum inde omni jure, partes opii constituentes in aqua solubiles efficaciam mere narcoticam teneare in alkohole vero resinosae partes solutae praeter proprietates narcoticas et stimulantes adhuc possidere. Quodsi nunc ex praemissis ad hujus remedii characterem essentiale, actionem fundamentalem atque ejus celeritatem, in et extensionem, animum reflectimus, profiteri cogimur: opium non ad illa corpora medicata pertiuere, quorum agendi ratio ad conceptum stimuli, irritationis ac incitationis, restringi possit, sed quod altiorum naturae potentiarum, caloris utpote, lucis atque electricitatis ad instar, immediate in omnia puncta, modificationes et manifestaciones vitalitatis agit, illam penetrat ac explet, et quidem cum ea peculiaritate, ut sphaeram vitae organico-vegetativam, processum vitalem plasticum fundamentalem exaltet, sphaeram vero sensibilitatis deprimat.

Ratio Pathologica.

Convenit itaque Opii usus:

- 1) Qua anodynum in variis algematum speciebus, ut: otalgia, odontalgia, prosopalgia; in febribus nervosis imo cum erethismo, pulsu parvo, exili, cuti sicca, frigidisque extremitatibus, in typho ab initio jam cum diarhoea con-

juncto, denique in summo virium lapsu si excitantia Nervina incassum tentata sunt.

2) In febribus intermittentibus praecipue perniciosis (Fr. Hoffmann, Thomann) cum China copulatum, in redivis rebellibus, medicamen praebet, quo nullum aliud superius.

3) In febribus inflammatoriis cum topica affectione organorum membranaceo-glandulosorum in stadio secundo, ubi inflammatione fracta in organo laborante crethismus remanet. In Pleurite mercurio dulci junctum, adhibuit Hufeland; in cystide P. Frank; in angina membranacea sub transitu stadii inflammatorii; in nevro-phlogosibus localibus praemissis sanguinis detractionibus topicis (Sax.)

4) In exanthematibus acutis praecipue in variolis, si eruptione tarda cutis pallet et siccescit, aut in stadio suppurationis cum pustula marcescente vacua, in connubio cum nervinis (Sydenham, Richter, Hufeland) Similibus sub rerum adjunctis etiam Opium in morbillis proderit, ubi tussim spasticam cum nulla irritatione incidentem tollit, evacuationesque profusas coercet. In Scarlatina et Erysypelate fere nullus Opii conceditur usus, in priori nempe ob praedominantem vasorum erethismum, summa in congestiones ad caput adest proclivitas, opii usu adhuc augenda, in posteriori fere semper status gastricus adest, opii usum vetans. Erysypelas solum typhosum sine gastrismo opii usum cum Camphora parca dosi fert.

5) In rheumatismo afebrili dolorifico ad sufferendam nimiam sublimitatem praecipue Camphorae, Ipecacuanhae junctum multum valet, ast summus habeatur cerebri respectus.

6) In arthritide vaga multos dolores causante retrograda, jam a Sydenhamo summis extollitur laudibus, praecipue cum Camphora et Ipecacuanha copulatum.

7) Spasmi in Opio principem antispasticorum inveniunt. Habita indicationum et contraindicationum ratione convenit praecipue in trismo et tetano, sive refrigerium, sive laesiones externae ansam praebuerint. Notandum tamen hos morbos opium plena dosi tamdiu exposcere, lonec Narcoseos phaenomena intraverint, quo facto a minori dein dosi rursus incipiendum. Etiam enematum applicatio ob deglutitionem penitus denegatam, summi habet momenti. In hydrophobia, quatenus ob spasmos terribiles cum tetano quandam similitudinem habet, levamen

saltem Opium fert. In Colica Saturnina cum Calomele viris in arte versatissimis bono cum successu adhibetur. In colica spasmodica et flatulenta practici in connubio cum aromaticis et acidis edulcoratis Opium praedicant.

8) Phtisis praecipue pituitosa cum sputis profusis et magna sensilitate et nisu ad tussim, in Opio levamen magnum invenit.

9) In syphilide, etiamsi vi antisyphilitica careat, cum sublimato copulatum qua optimum adjuvans a praticis laudatur.

10) Quibus morbis psychicis opium conveniat, quibus obsit, medico ex indole merbi desummendum. In delirio potatorum cum tremoribus, venaesectionibus praemissis, inflammationeqne sic abacta, opium summis extollitur laudibus.

Externus opii usus recessarius, saepe in morbis supra memoratis ad effectum interne ordinati remedii accelerandnm, vel si circumstantiae nonnullae internum cjuum usum interdicant, aut si topice magis agere desideramus pro varietate morbi, jam forma clismatis, unguenti, fomenti, emplastri, quin et balnei adhibetur. Agit efficacissime eontra dolores et spasmos topicos, sic fit ejus applicatio in tetano, ad musculos tetano correptos; ad buccas et tempora in prosopalgia, cephalalgia, otalgia, acc gingivas in dolore dentium, ad palpebras in photophobia et blepharospasmo (Rust) imprimis vero usitatur in ophthalmia rheumatica, syphilitica, blenorrhoica et metastatica; contra pseudoplasmata, varicositates conjunctivae maculascorneae (Lallemand) obfuscationes, exulecrationes contra pannum ac staphyloma instillationes et illinitiones valde commendantur: in destruendis polypis nasi, auris, vaginae etc in sanandis pernionibus vis ejus medicatrix inconcussa exstat. (Dürr, Dzondi, Henschel).

Dosis, forma et combinatio.

In stabilienda dosi opii medieus aetatis, constitutionis aegri praeprimis consuetudinis Opio forsan jam adsuetae, indolis morbi summam habeat rationem, in genere minimae opii doses $\frac{1}{16}$ gr. excitantes potius effectus exserunt, majores vero, ad gr. dimidium; integrum stupefaciunt. Opium purum, extractum aquosum, acetum morphii ad $\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{4}$ gr. pro dosi ter quaterse de die, optime

in pulvere, Pilulis, bolis, electuariis, mixturis etc. exhibetur. Morphium aceticum saepe qua endermaticum $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ 2 gr, cuti vesicantis ope epidermide orbae, inspergitur.

Tincturas, secundum partes quantitativas, simili modo pulverem Doveri medici adhibent. Syrupus Meconii ad unciam semis usque integrum de die porrigitur.

Simili modo externe Opii praeparata colutoriis, gargarismatibus, collyriis, linimentis, emplastris, injectiōnibus et enematibus inserviunt, ubi dosis opii pro varia partis affectae sensilitate, et pro vario quem medicus desiderat effectum, etiam varie modificanda. Notandum tamen est; externam adplicationem non solum topicum effectum exserere, quod praecipue de methodo endermatica valet.

Ubi merum opii effectum desideramus; indifferētia, uti sacharum, gummi arabicum addimus. Si in scopo medici est, virtutem opii irritantem mitigare omni ex parte nitrum, digitalis, calomel paginam absolvunt. Ubi digestio valde prostrata Opium recusat, ibi copula aromaticorum quadrat. Si ex nimio usu obrutio sensorii communis timenda, praesto nobis sunt nervina volatilia: Mōschus, Castoreum, Valeriana.

Etiamsi opium rite adhibitum, medicam artem exercentibus pharmacon praebeat, nullo alio supplendum, usus tamen illius ineptus aut juste diutius procrastinatus sequelas tristes, imo saepe lethales producit. Ob irritatem suam anodynā, antispasticā, aegrū et saepe etiam medicum fallendo periculum obfuscat timendum ita, ut saepe momentum medelae faustum praeterlabatur.

Quantopere ex Opii usu Apoplexia timenda, cui libet clarum erit, qui perpenderit quam facile et dolose congestiones versus cerebrum Opium producat. Quid dicendum de cautela in infantilis curandis, ubi saepe guttula Laudani liquidi Sydenhami justo major jam est dosis. Quod damnum parat saepo Opium in inflammationibus, ubi nisi summe indicatum fuerit Opium, transitum phlogoseos in suppurationem et gangraenam accelerat. Nec minora incommoda opii usum excipiunt, quando in sordibus gastricis adhibitum, gastrismum adhuc magis fatalem reddit. Simili modo in vitiis organorum abdominalium chronicis, uti: languore, stasibus, infarctibus adhibitum, haecce mala celeri passu in pejus praecipitabit. Quae mala autem illi, qui etiamsi minori dosi, attamen usu pro-

tracto Opium, qua pharmacon incitans, animum addens (*Turcae*) adhibent, sibi contrahant, videre est ex tot tantisque sequelis, ni lethalibus et irreparandis, saltem sanatu difficillimis.

Quamprimum itaque phoenomena narcoseos nimiae in conspectum prodeunt, ad antidota refugiendum, quae pro varia indole morbi inducti, mox emetica, mox venae-sectiones, praecipue autem acida vegetabilia, tum interne, tum qua lotiones et enemata, aqua frigida, mox stimulantia nervina, camphora, aether suam invenient applicationem. Turcis contra abusum Opii, coffeae infusum forte, antitodium valde usitatum praebere, satis constat.

Formulae usitatores.

Rp. Opii puri gr. unum
Sach. albi scrup. duos
M. f. pulv. divid. in dos-es quatuor
D. S. O. trihor. pulv. unus. (*Dysenteria*).

Rp. Opii puri gr. tria
Sach. albi drachmam
M. f. pulv. div. in dos sex
D. S. Mane et Vesp. pulv. unus
(*Tremor. univers. in bibone*).

Rp. Opii puri gr. tria
Florum sulfuris
Sach. albi aa. dr. semis
M. f. pulv. div. in dos. aeq. sex.
D. S. O. bihor. pulv. unus (*Cachex. mercur.*)

Rp. Opii puri gr. unum
Camphorae trit. gr. duo
Florum sulfuris
Sach. albi aa. dr. semis
M. f. pulv. div. in dos. aeq. quatuor (*Enteral.
Saturn.*)

Simili modo praescribitur cum Ipecacuanha, Florum Zinci, Hydrocyan. Zinci, sulf. aur. Antim. etc.

Rp. Acetat. Morph. gr. unum
Aqua commun. dest. unc. sex.
Syr. cortic. aurant. unc. semis
M. D. S. O. bihor. cochl. (Epilepsia).

Rp. Acetat. Morph. gr. unum
Amyli gr. octo
M. f. pulv.
D. S. Inspergatur epigastrio plagae vesicante decorticatae (Gastrodynia).

Rp. Acet. Morph, gr. sex
Olei amygd. r. pr. drachmam
M. f. linim. S. ter de die agitato
praevie vitro aliquot guttae inungantur.
(In spasmo palpebrarum).

Rp. Laudani liquid. Sydenh. dr. duas
D. S. Pauxillum vesp. perinaeo infricand.
(In Orchiodynia nervosa.)

Rp. Decoct. cort. peruv. ex unc. semis ad unc. quat.
Vitelli ovi unius
Pulv. cort. Peruv. subt. drach. tres
Tincturae opii crocat. gutt. decem
M. D. S. Clyisma (Ctra febrim intermitt).
Berends

Rp. Syrup. Diacodii
Mucil. gum. arab
aa. unc. semis
M. D. S. Linctus.

Rp. Amyli drach. unam
Solve in
Aqua fervid. unc. quatuor
adde
Tinct. opii crocat. gutt. decem
M. S. Clyisma antispasticum

Rp. Decoct. cort. Peruv. unc. octo
Tinct. anodyn. compos. scrupulum
Mucil. gum. arab. unciam
M. S. Zu 4 Clystiren (nutriens).

Rp. Mercurii subl. corros. gr. $\frac{1}{6}$
Aqua destill. unciam
Muc. gum. arab. unciam et semis
Opii puri granum
M. D. ad. vitr. Signa. Erwärmt zum Clysm
gegen heftige chronische Ruhr.
Kopp.

Theses defendendae.

1. Medici justus judex propria conscientia esto.
2. Opium omni jure ad narcotica pertinere, con-
tendo.
3. Felix matrimonium, optimum macrobioticum.
4. Opificia plurima vitae sunt insidiosa.
5. Medicus aliis optimus, sibi ipsi in morbis pessi-
mus est consultor.
6. Medicus doctissimus in praxi non semper feli-
cissimus.
7. Nulla datur medicamenti dosis absoluta.
8. Adcomodare artem naturae, scientiam arti, en-
totum medentis opus. Lippich.
9. In Magnetismo animali plus fallaciae quam ve-
ri est.
10. Inopia et abundantia uberrimus morborum fons.